

rogatorum puncta, ab antelato apiario et Antonio Janda, Principali ejusdem, fundamentalia tractandi apes excipiat momenta; cujus Deputationis opus dein in publico relatum, lectum et approbatum est, Comitatus pro congrua Notitia et directione extradandum et per Districtus publicandum, in publicumque divulgandum.

Articulus Undecimus.

De Secundario petito et aucto Contributionali quanto.

Postquam Sua Majestas Sacratissima prompto et alacri Dominorum Statuum et Ordinum in 57 Millium auctionali Quanto, ex ratione gravium altissimi sui Aerarij Regij necessitatum contentari non est dignata; verum sub 12. Mensis Martij denuo annuam 100 Millium florenorum auctionalem quotam a Dominis Statibus et Ordinibus exposcere, unaque ad nonnulla Regni Postulata Benignas Resolutiones Regias impertiri dignata fuisset, Domini Status et Ordines Regni, ut pro omni posse suo Benignas Regias intentiones secundare, Aerarioque Regio succurrere valeant: tametsi quidem in rei evidentia, et suis conscientiis cognoverint, subdito Regni hujus, gravibus miserijs et fatalitatibus depresso, vires praesentes non esse ad amplius contribuendum; quia nihilominus Contributionis ejusdem auctio per Suam Majestatem Sacratissimam gravissimis rationum momentis amplius urgebatur, parte ab altera Domini Status et Ordines in ingenta Majestatis Suae Sacratissimae Clementia et Benignitate, subditum Contribuentem de Regali Providentia sublevatum iri confidissent, ad remonstrandum zelum suum et homagiale obsequium, spe futurorum de Regia Benignitate contribuentibus supeditandorum adminiculorum, adhuc 13 Millia florenorum priori suo oblato adicientes, auctionalem summam in 70 Millium florenorum ea ratione constituerunt, et Suae Majestati Sacratissimae obtulerunt: si subditus in Statu erit solvendi; et ut onus fundo non inhaereat; Status et Ordines de exigibilitate non caveant, alter pro altero ad solvendum non adigatur; et denique ut non pro hoc, verum imminente Militari Anno Contributio haec aucta exordium suum capiat. Cum porro noviter Suae Majestati Sacratissimae repraesentandum et Postulata Regni reiteranda fuissent, fine ellaborandorum Motivorum et Repraesentationis, sub praesidio Illustrissimi Domini Comitiss Joannis Patasich, Supremi Comitatus Crisiensis Comitiss (tit.) Deputatio eadem, quae occasione primae Repraesentationis laborabat, denuo ordinata est, quae opus suum in publico relatum et approbatum retulit, et Suae Majestati Sacratissimae in subnexa modalitate repraesentatum est, et in eo supplicatum, ut auctae 70 Millium florenorum Summae Solutionis Terminus ita ad futurum Militarem Annum extendatur, ut a 1. Novembri currentis anni 1770 exordium capiat; ad Postulata vero Regni, ut Sua Majestas Sacratissima Benignas Regias Resolutiones Suas, per Dominos Status et Ordines confederaliter etiam congregandas, excipiendas elargiri dignetur.

Articulus Decimus Quintus.

De Commissariatus officio, in Confiniis Regni Banalibus praehabito, Suae Majestati Sacratissimae repraesentando, et Venerabili Capituli Zagrabienis intuitu Dubiczensis Comandae Instantia recommendanda.

Dolorose intellexerunt Domini Status et Ordines, quod Aulico-Bellicum Consilium, Commissarium in Confiniis constitutum, ab incassatione emolumentorum,